



# **Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten**

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere  
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen  
Verhältnisse]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1845**

DCCCIX. Kaiser Ludwig genehmigt den gemeinschaftlich von dem König  
Woldemar von Dänemark und dem Markgrafen Ludwig von Brandenburg  
an den Deutschen Orden vorgenommen Verkauf des Herzogthumes  
Estland, ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56193)

DCCCIX. Kaiser Ludwig genehmigt den gemeinschaftlich von dem König Woldemar von Dänemark und von dem Markgrafen Ludwig von Brandenburg an den Deutschen Orden vorgenommenen Verkauf des Herzogthumes Estland, am 20. September 1346.

Ludewicus quartus, Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, Singulis et vniuersis Cristi fidelibus. ad quorum noticiam presentes peruenerint, Salutem et prosperis successibus habundare. Imperialis excellentie dignitas tunc vere laudum suarum tytulos ampliat et nominis sui famam extollit, cum se suorum fidelium petitionibus fauorabiliter exhibet et iustis eorum votis liberaliter condescendit. Ea propter notum facimus vniuersis, tam presentibus quam futuris, Quod dilectus princeps noster, Henricus Tusmer, venerabilis magister ordinis fratrum hospitalis sancte Marie domus Theuthonicorum Jerosolimitane, nostre fecit Celitudini supplicari, vt donationem et venditionem, de Ducatu et terra Estonie sibi et suo ordini factam per Serenissimos et magnificos principes nostros, Woldemarum, Regem Danorum, ac Ludewicum, Brandenburgensem et Lufacie Marchionem, sacri Romani Imperii Archicamerarium, Bauarie ac Karinthie Ducem, Tirolis et Goricie Comitem, Aquilegiensis, Tridentinensis et Brissinenfis Ecclesiarum Aduocatum, ad quos idem Ducatus pleno jure pertinuit, prout in eorundem principum instrumentis continetur, ita rata habere et confirmare perpetuo dignemur. Nos igitur quia predicta emptio de mandato nostro ac voluntate processit, quia etiam dicti ordinis fratres grata semper et accepta seruicia fideli deuocione exhibuerunt nobis et imperio, et exhibent incessanter, quorum intuitu ordinem et domum hospitalis ejusdem dignis proponimus beneficiis ampliare, deuotis suis supplicationibus inclinati, donationem et venditionem, sibi et ordini suo ab eisdem Danorum Rege et Marchione Brandenburgensi factas, sicut exinde continent instrumenta confecta, ratas et gratas habemus perpetuo, et ex certa scientia dictum Ducatum et terram cum hominibus dictis magistro et fratribus eorumque successoribus appropriantes, auctoritatis Imperialis munimine confirmamus: Statuentes eadem auctoritate, vt tam ipse magister, quam ceteri fratres ordinis predicti et successores eorum futuro tempore predictum Ducatum et terram cum hominibus et aliis suis pertinenciis omnibus, sicut in priuilegiis predictorum principum, super hujusmodi contractum datis, plenius continetur, pleno jure domini sine omni seruicio libere et quiete pro sui ordinis utilitate et commodo habeant, teneant, possideant atque regant. Vt autem hec nostra confirmatio robur obtineat firmitatis perpetue, presens scriptum fieri et typario nostre majestatis impresso ac signo nostro solito et consueto fecimus communi. Hujus rei testes sunt Nobiles viri Ludewicus, Dux de Teck, Johannes Burggrauus de Nürenberg, Fredericus de Oettinge, Ludewicus de Hohenloch et Gottfridus de Prawnegk, comites, cum ceteris pluribus fidedignis. Actum et datum in Frankenfort, in vigilia sancti Mathei apostoli et Ewangeliste, anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto, Regni nostri anno tricesimo secundo, Imperii vero decimo nono.

Nach einer Abschrift in der Drezgerschen handschriftl. Urkunden-Sammlung.